



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Vera Sapientia

Pinamonti, Giovanni Pietro  
Segneri, Paolo

Coloniae, Anno M.D.CCVI.

**VD18 12664146**

Consideratio sexta pro die Veneris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50782](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50782)

CONSIDERATIO VI.  
 PRO DIE VENERIS.  
 PUNCTUM I.

Mors.

Quid sit Mors?

*Siccine separat amara mors ?* 1. Regum. 15. 32.

I. **C**ONsidera, quid sit Mors ? Mors est perpetua separatio ab orbe hoc universo. Memento igitur, paulò post relinquendum tibi esse, quidquid in vita carum habueras. Deseres igitur parentes, deseres omnem suppellectilem, familiaritatem omnem, obscœnas tuas delectationes, domum illam deseres, quam nunc inhabitas, citra spem ullam, eam unquam revisendi ; migrabis dehinc in regionem aliam, ô! quantum à nostra hac diversam ! ubi nempe nihil valet quidquidquid istic magni

gnū æstimatur, Jam jam imminet fatalis  
ille dies, ad cuius exortum manè vives,  
vespere morieris, vel certè vice versâ;  
quem vespere occiduum videbis so-  
lem, non videbis manè rursus oriens-  
tem. Tunc impositus mortuali fere-  
tro, delatus ad templum, defodieris  
humo, tecumque omnis memoria tu-  
mulabitur. Ibi cadaver tuum lacero  
centoni involutum, squalidum, defor-  
me, fœtens, subtus habebit vermes, si-  
praque bufones; huiusmodi erit lectus  
tuus, hi familiares & amici. Ecce! quò  
tandem redeunt illæ carnis tuæ vo-  
luptates, tam molliter enutritæ, tam  
indulgender habitæ, tam indignis pa-  
stæ deliciis. Hæc igitur causa erat, cur  
universus misceretur orbis, ut lautius  
nempe convivium epulaturis vermis-  
bus in sepulchro instrueretur? Quid  
verò censes de veritate horum omni-  
um, quæ recenseo? an quidquam ex-  
aggerationibus, ultra veri mensuram  
augeo? an dico, quod non tuismet ipse  
quotidie cernis oculis? per igitur tuam  
te salutem rogo, quæsòque, ut omni

vespere impofterum , priusquam fo-  
rnnum capias , cum jam fupinus lecto  
incumbis, claufis oculis, protenfis pe-  
dibus, manibus fupra pectus compofis  
tis, id tecum ferio pensites : ita prorfus  
poft breve tempus , in fandapila mea  
componar; & ego tamen hujus imme-  
mor fati mei, vivo quafi nunquam mo-  
riturus.

## PUNCTUM II.

Mors certa, & incerta.

*Vigilate, quia nescitis diem neque ho-  
ram. Matth. 25. 13.*

II. **C**ONsidera, hanc feperationem,  
quam mortem vocamus, cer-  
tam efle, & incertam : Certum eft nei-  
minem ab hac efle immunem, five fit  
Imperator, five Rex, five ex Magnati-  
bus quifpiam, non magis fcilicet, ac vi-  
liffimus quilque ex ima plebe : mors  
in grandi hoc prato eadem falce, ho-  
ra eadem, demetit perinde flores, ac  
gramina. Quando autem, & quomo-  
do inftet hic ictus, quis noftrum novit?

Age

Age, dic mihi, obsecro: si nōsti, quo tempore, quo fato, ex hac vita sis migraturus: noctūne, an interdiu? labente hoc anno, an sequuturis? & quod caput rei est, dic, an habiturus sis otium, morāmque temporis, ante obitum animi maculas necessariā exomologesi eluendi; an etiam copiam confessarii, qui morituro assistat? itane certō nosti, animæ tuæ rationes tam accuratē à te subducendas, ut ad rigidum examen æquissimi iudicis nullo comperiantur vitio laborare? ostende sis cautionem, quæ securum te reddat victoriæ in ultimo agone, ubi omnes adversum te vires colliget hostis tartareus, feliciter reportandæ: Sed ô nos miseros mortales, qui nihil scimus aliud, quàm certō nos morituros, & brevi quidem, & cū minimè cogitamus! Quòd si ex Angelo Dei nuntio, intelligeres, intrā annum te moriturum, quot quantaque ex hoc temporis momento cumulaturus esses pietatis ac pœnitentiæ opera? nunquid autem accidere potest facillimè, sequenti mense

sepeliaris? ubi igitur pietatis ac pœnitentiæ opera? at enim nihil aliud curamus, quàm ut stabilem figamus sedem in hoc lacero tugurio, quod in momenta ruinam minitatur. Jam has delicias venabor, inquit non nemo ex ista leviculorum tribu, vindicabo hanc injuriam; hoc prædium vendicabo; dum interea laneo pede mors subrepat, & omnia infantum crepundia, omnem hunc vitreum apparatus, hæc castella aëri inædificata, disjicit, evertit, pessumdat. Quæ major insania, quàm momento transitura curare unicè, nè cogitatione quidem attingere æternùm duratura?

### PUNCTUM III.

*Semel tantùm morimur.*

*Statutum est hominibus semel mori.*  
ad Hebræos 9.27.

III. **C**ONsidera, hanc ab omnibus crebis terrenis separationem, immanem hunc transitum ex hac vita in alteram, <sup>atque</sup> fieri, nisi semel durè  
taxat

taxat, neque ampliùs; ità ut semel istic errare, sit errare æternùm; *periisse semel æternùm est*, sive cadat arbor ad Austrum, sive ad Aquilonem, quocunque semel ceciderit (inquit) Servator ibi manebit in æternum. Quanto igitur studio quemlibet oportet curare Christianum, ut cadat ad dexteram salutis. Qui autem moriendo cupit ad dexteram cadere, declinet à sinistra, vivendo. Et difficillimum sanè est ex omnibus; quæ peccatori evenire unquam possunt, malè vivere, & bene mori: quam rem nihilominùs, tot ac tanti spontaneæ ignorantiaë tenebris excæcati, censent esse facillimam. Ratio hujus difficultatis est, quòd mors nihil sit aliud, quàm ultima vitæ Echo, ità, ut, qualis est vita, finis sit ità. Si exordium telæ sit nigrum, nigrum itè & medium, terminus etiam erit haud discolor. Verum itaque est, quòd, qui malè vivit, malè etiam moriatur. Tu interim, care lector, quid agis, ut bene moriâre? quo studio collimas ad metam, à qua si aberres, te unà, tecùmque

omnia, in æternum perdidisti ! quid agis ? sine, eloquar : à primo manè ad seram usque vesperam millenis circumvolutari sordibus, à primis anni Calendis ad ultimam usque diem peccata cumulare peccatis, menses integros, scætentium ad instar corvorum, pasci cadaveribus, & semelas inter offitium reliquias sordidè delitari; ex his quisquiliis, ex hoc sterquilinio, credisne, momento unico elevandum te esse ad usque cœli empyrei, & felicissima beatorum limina ? per me credas tu, licèt; ego sanè non credo. Quid verò sentiam, lubeat nunc audire rectène, an secus senserim; experière paulò pòst. Si vis salvus fieri, aliam viam ingreditor, aut enim vita mutanda est, aut æternæ salutis facienda jactura. *Quæ seminaverit homo, hæc & metet. Gal. 6. Qui malè vivit, malè & moritur.*

## ORATIO.

**S**apientissime Cognitor omnium  
 Smearum infirmitatum, & unicum  
 il.



illarum remedium, quanta cum providentia incertam mihi esse jussisti diem mortis meæ, ut nunquam scilicet securus insidiarum, ab hoc meo fatali hoste semper vivam sollicitus & circumspectus, neque ullo tempore arma dimittam è manibus, velut si pugna omni momento instaret, & hora quælibet foret ultima vitæ meæ. Hunc ipsum in finem, toties mihi inculcas in divinis scripturis hanc veritatem, venturam scilicet furis ad instar mortem, cum minimè cogito; id ipsum quotidiana me docet experientia, dum sæpissime video mortuos insperato efferri, qui paulò antè mecum vixerant, & migrare ex hac vita, quos habueram antè contubernales. Hæc tamen omnis providentia tua, benignissime Deus, quid in me frugis fecit? Scio etenim, mortem præ foribus præstolari, scio, momentis singulis adrepere propius, nihilominus ego, velut bellua rationis expers, velut ovis ducta macellum, jam collo funi innodatus, rideo, jocos perinde, ac nunquam supplicii mei

termino admovendus. Ubi præparatio ad supremum illum agonem, cujus pavor maximis quibusque Sanctis gelidum sudorem excivit? ut, tametsi columnæ essent tam firmæ, non secus tamen, ac folia vento agitata, totis artibus contremiscerent? ubi cura præmittendi precum, eleemosynarum, & poenitentiarum commeatum in alterum orbem, ubi nihil reperiam, nisi antè præmissum? enim verò à me fiunt contraria potiùs omnia, dum nempe nil aliud cogito, quàm ut domum mihi exstruam in mobili hac arena, ubi certus, non diu substituram, cum & rimas jam agat, jamque casum minitetur, quantò meliùs ejusmodi fabricaretur palatium, cujus æterna est inhabitatio, tum scilicet cum *ibit homo in domum æternitatis suæ. Eccles. 12.* Ah benignissime Deus! tu mihi omnem præclusisti effugiendi viam, & ego tamen ex amoris tui amplexibus violenter me proripio. Quòd si præsentia bona ego non ultro deseram amore tui, nunquid illa, ut fugitiva & evanida, jam nunc deserunt

runt

*Consideratio VI.*

61

runt me ? ità omnino est, mi care JE-  
SU ! atque hinc, si cæcus fui hæctenus,  
non ero imposterum ; video nunc, &  
agnosco, propterea prorogari mihi vi-  
tæ meæ spatium , ut ad bene morien-  
dum me præparem , militis instar ge-  
nerosi , qui in ludicris semet exercet  
priùs, quàm pugnæ aleam seriò subeat.  
Ero igitur deinceps in id solum inten-  
tus , erit hoc summum maximùmque  
negotium meum , in quo vertuntur  
omnia , quod *unum est necessarium.*  
Tu me adjuva, mi Deus, efficacissimâ  
gratiâ tuâ, ut animosè spernam omne,  
quod hodie est, & cras perit, neque  
unquam committam , ut in me

cadat illud Jobi 24. *Dedit  
ei Deus locum pœniten-  
tiæ, & ille abutitur eo  
in superbiam.*



CON-